Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt de seruili conditione nisi prius à dominis propriis libertatem habeant, nulli ordinentur. xxi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

Quòd illiteratus & aliquo mẽbro imminutus prouehi ad ſacros ordines non debeat. Cap. XVIII.

ILliteratos quoque, aut aliqua parte corporis imminutos, nullus præſumat ad clerum prouehere. Quia nec literis carens, ſacris eſſe poteſt aptus officiis, & vitioſum nihil Deo prorſus offerri, legalia præcepta ſanxerunt. Similiter qui ſeipſos abſcindunt.

Ex epiſto. Gelaſii papæ, ca. 16.

De filiis concubinarum. Cap. XIX.

DE his qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas, poſthabuerunt, & defunctis vxoribus ſibi cõcubinas publicè ſociant, id obſeruandum cenſuimus, vt ſicut eos, qui iam clerici per ignorantiam ordinati ſunt, nõ remouemus, ita ſtatuimus ne vlterius ordinentur.

Ex cõcil. Aurelian. cap. 10.

Vt dæmonibus ſimilibúſque paſſionibus irretiti, ſacra tractare non debeant. Cap. XX.

VSqueadeò ſanè comperimus illicita quæq; prorumpere, vt dæmonibus ſimilibusq; paſsionibus irretitis myſteria ſacroſancta tractare tribuatur. Et poſt pauca: Si corpore ſauciatũ aut debilem nequaquã ſancta contingere lex diuina permiſit, quanto magis doni cœleſtis diſpẽſatores eſſe nõ cõuenit, quod eſt deterius, mẽte perculſos.

Ex epiſt. Gelaſii papæ. ca. 19.

Vt de ſeruili cõditione, niſi prius à dominis propriis libertatẽ habeant, nulli ordinentur. Cap. XXI.

VT nulli de ſeruili conditione ad ſacros ordines promoueantur, niſi prius à dominis propriis legitimam libertatem conſequantur. Cuius libertatis charta ante ordinationem in ambone publicè legatur, & ſi nullus contradixerit, ritè conſecrabuntur. Porrò ſeruus non canonicè conſecratus, poſtquam de gradu deciderit, eius ſit conditionis, cuius fuerat ante gradum.

Ex concil. Triburiẽ. cap. 25.

De eadem re. Cap. XXII.

ADmittuntur paſsim ad ordinẽ ſacrum quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur: & qui à dominis ſuis libertatem conſequi minimè potuerunt, ad faſtigiũ ſacerdotij, tanquam ſeruilis vilitas hunc honorem iure capiat, prouehuntur: & probari Deo poſſe creditur, qui domino ſuo necdum probare ſe potuit. Et poſt pau-

Ex decre. Leonis papæ, cap. 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN